

tionem venit, ut par erat. Et quoniam mens, & voluntas nostra est, ut prædicta Lex observetur, & compleatur juxta suum tenorem: Ordinamus igitur, ac præcipimus; Quod omnes Justitiae, ac Ministri (hoc est todas las nuestras Justicias) nostrorum Regnorum, & Dominiorum, tam Regalium & Abbatiorum, quam Ordinum & Communitatum (hoc est Behetrias) & aliorum quorumcumque Dominiorum, cujusvis qualitatis, in ordinatione, decisione, & determinatione litium, & causarum observent, & impleant prædictam Legem in omnibus, & per omnia, prout in ea continetur: & post ejus observationem, & complementum, in litium, & causarum tam Civilium, quam Criminalium ordinatione, decisione, & determinatione, sequens ordo servetur: Nimirum ut, Quod definitur per leges Ordinationum, & Pragmaticarum per nos conditarum, & per Reges à quibus nos sumus oriundi, aut qui à nobis fuerint; Fiat, & observetur in dicta ordinatione, decisione, & determinatione causarum, prout in eis constitutum, quin obstat, quod contra prædictas Leges ordinationum, seu Pragmaticas excipi, atque allegari poterit, quod sint obsoletæ. Et in iis rebus quæ definitur per eas nos potuerint, Præcipimus ut observentur Leges Fororum, tam Fori Legum, quam Fororum Municipalium cujusvis Civitatis, aut Oppidi; in eis videlicet rebus, in quibus sunt, aut fuerint in usu observatæ in prædictis locis, neque prædictis Legibus Ordinationum, & Pragmaticis fuerint contrariæ, tam à Nobis jam constitutis, quam in posterum constituendis à Nobis, vel Regibus à nobis oriundis: Namque per eas est nostra mens, & voluntas ut definitur lites, & causæ, non obstantibus prædictis Foris, & eorum usu, & observatione. Cæterum, si aliquid per prædictas Ordinationum Leges, & Pragmaticas, ac Fora definitur non poterit, Præcipimus, ut in ejusmodi eventu recurratur ad Leges Septem Partitarum, à Domino Rege D. Alfonso Progenitore nostro conditas: per quas, & non per alias, deficientibus prædictis Ordinationibus, Pragmaticis, ac Foris, definitur Lites, & Causas præcipimus, tam Civiles, quam Criminales, cujuscumque qualitatis, aut quantitatis fuerint, observato quod per eas fuerit definitum, prout in eis continetur, etiamsi neque in usu, neque in observatione fuerint. Præcipimus præterea, ut quotiescumque dubium aliquod incidit in prædictarum Legum Ordinationum, Pragmaticarum, ac Fororum, sive Partitarum interpretatione, sive declaratione; in ejusmodi eventu ad Nos recurratur, & ad Reges à nobis oriundos pro ipsarum declaratione, sive interpretatione. Ipsi enim, cum viderimus ejusmodi dubia, Declarabimus atque interpretabimur prædictas Leges, juxta Dei Domini nostri obsequium, & Subditorum, atque indigenarum nostrorum utilitatem, & ad optimam Justitiæ nostræ administrationem.

Et quoniam Nos in præterito anno 99. Matrini

Oppido nostro condidimus quasdam Leges, atque Ordinationes, quarum omnes in ordinatione, & nonnullas in decisione litium, & causarum præcipimus servari in nostro Consilio, & in nostris Audientiis; atque inter easdem est quedam, in qua agitur de Sententiis sive opinionibus Bartholi, Baldi, Jacobi, Andreae, & Abbatis, utra illarum teneri debeat in rebus dubiis, ubi desit Lex: nunc verò edocti sumus quod id, quod nos fecimus ad vitandam prolixitatem, & varietatem opinionum inter Doctores, plus damni atque incommodi attulerit: idcirco per præsentem revocamus, casamus, atque annullamus, quantum ad hoc spectat, quicquid in ea Lege, atque ordinatione, à Nobis Matrini Oppido prædicto condita, continetur: Præcipimusque, ut deinceps non sit in usu neque observetur, aut impleatur. Siquidem Mens atque Voluntas nostra est, ut quod attinet ad prædictam ordinationem, & decisionem litium & causarum, tantummodo fiat, & observetur quod habetur in supradicta lege Domini Regis D. Alfonsi, & in hac nostra.

COMMENTARIUM

Ad Legem Primam.

SUMMARIUM.

- 1 & 2 Definitio legis.
- 3 & 4 Quando lex humana liget subditos in foro conscientie.
- 5 Quæ requirantur ad validitatem legis.
- 6 Quis possit facere legem.
- 7 Quis possit leges dubias interpretari.
- 8 Deficiente lege, recurritur ad consuetudinem.
- 9 Deficiente lege & consuetudine, recurrendum est ad rationem naturalem.
- 10 Deficientibus his, procedendum erit argumento alicujus legis.
- 11 Lex nova referens aliam, licet non reperitur, valet.

NOta ex ista lege, quod in isto Regno, in decisionibus causarum prius, & ante omnia debet judicari per istas Leges Tauri: Item consequentivè postea per Leges Ordinationum, & Pragmaticas hujus Regni, & Leges Partitæ; licet non prohibetur earum usus, nec consuetudo: postea per Leges Fori, quæ fuerint in usu, & consuetudine: Postea verò, his deficientibus, debet judicari per jus commune Romanorum Consultorum, & Imperatorum, quod legitur, & disseritur in Scholis, & Studiis generalibus, secundum communem opinionem, quæ reperitur in casu de quo dubitatur; correctâ Lege Regia de Madrid, quæ disponebat, quod in decisionibus causarum, defi-

ciente lege, sequatur opinio Bartol. & postea Bald. Pro cuius tamen declaratione dico, & præsuppono, quod lex potest. 1. sic definitur: Lex est Commune præceptum virorum prudentium; delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coertitio; communis reipublicæ sponsio: text. est in l. 1. ff. de Legib. & ibi communiter Doctores. Vel aliter, & 2. Lex est Inventio quedam, correctio, & compositio communis civitatis, secundum quam omnes decet vivere: text. est in l. 2. ff. de Legib. & ibi etiam communiter Doctores. 2. Vel aliter & 3. Lex est Divinarum, atque humanarum rerum notitia: text. est in dist. 1. 2. ff. de Legib. Vel aliter, & 4. Lex est Sanctio sancta, jubens honesta, prohibens contraria: text. est in l. 2. vers. fin. ff. de Legib. & ibi Glos. ordinariæ quæ residet cum hac diffinitione, & communiter DD. text. in l. Leges. 3. Cod. de Legib. Glos. etiam ordinaria in §. Lex Instit. de jure natur. gent. & civil. & adde, quod leges fuerunt factæ, & conditæ per tercentos annos ante adventum Christi, cum Consulti earum conditores fuerint illo tempore, ita Bartol. in l. Multum interest. ff. de Verb. obligat. 1. column. in medi. & ibi Jas. fin. col. & ante eos Glos. ordinariæ in l. Prædictæ. ff. de Feriis. Glos. etiam, Bart. & alii DD. in l. Titia, §. Seia, ff. de Auro & argent. l. & Glos. in rub. ff. de Just. & jur. Item, Lex nova semper respicit futura negotia, non verò præterita: text. est in leg. Leges. 2. Cod. de Legib. text. in leg. penult. & fin. Cod. de Sacros. Eccles. text. in leg. penult. Cod. de Usur. & ibi communiter DD.

3. Item quæro, an, & quando Lex humana positiva, & ejus dispositio liget subditos in foro conscientie? & breviter, & resolutivè dico, quod si non est peccati nutritiva, est servanda in foro conscientie: Nam ex quo lex est justa, videtur edita auctoritate Divina per suos ministros, ut in cap. Quo jure. 8. distinct. & Proverb. 8. Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt: ita tenet, & concludit Innocent. in cap. Quia plerique, de Immun. Eccl. fin. column. & ibi communiter DD. Joann. Andr. in cap. Quamquam, de Usuris, lib. 6. Abb. Panormit. in c. 1. de Constit. 5. column. num. 9. & ibi Moderni; S. Thom. 2. 2. quest. 96. artic. 6.

4. Quod tamen intelligit, quando Lex fundatur super certo, secus verò super aliqua præsumptione, & facto incerto; quia non tenetur quis ex ea in foro conscientie, si sibi constat præsumptionem non esse veram, secundum DD. ubi supra. Item etiam intelligit, quando agitur de aliqua re, negotio vel interesse principali: secus si agatur de poena per legem imposita; quia non tenetur debitor eam solvere in foro conscientie ante condemnationem, quia cessat ratio principalis legis, quæ est: Ut puniatur delinquens in foro contentioso; Item, ut aliis sit

Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

terror, & exemplum: quæ ratio cessat in foro poenitentiae. Ita Glosa singul. & unica in cap. Fraternalitas. C. 12. Q. 2. in glos. final. quam reputat singularem & unicam, Abb. in cap. 1. de Constit. 7. column. num. 21. & ibi Felin. 11. ubi plura inferit. Idem Abb. & Felin. in cap. Audivimus. de Simon. idem Abb. in cap. Raynaldus. de Testament. 6. column. idem Abb. in cap. Si egressus. de Injur. idem Abb. in Proam. Doctrinal. in parte. Rex pacificus, 4. column. idem Abb. in cap. Cum causam de Testib. column. 5. idem Abb. in cap. Dilecti. de Arbitris. column. 5. idem Abb. in cap. fin. de Sepult. idem Abb. in cap. fin. de Præscriptionib. idem Abb. in cap. Suam de Poenis, idem Abb. in cap. Quia plerique. de Immunit. Ecclesiar. Bald. in leg. Quibus diebus. §. Dominus. in fin. ff. de Condition. & demonstrat. Joan. de Imol. in leg. Stipulatio ista, §. Alteri, de Verbor. obligat. 4. column. Jas. in §. Sed istæ quidem. instit. de Actio. secunda column. Summa Silvest. in part. 9. quest. principali.

5. Item adde, quod ad essentiam, & validitatem legis requiruntur sequentia. Primò, quod sit justa, & honesta: Secundò, quod sit possibilis, & secundum naturam: Tertio, quod sit necessaria, vel saltem utilis, & conveniens Reipublicæ: Quarto, quod sit communis, non particularis respectu alicujus personæ: Quintò, quod sit facta per verba dispositiva, & præceptiva: Sextò, quod sit redacta in scripturam publicam: text. est, qui omnia ista comprehendit in cap. Erit autem lex 4. distinct. text. in cap. Lex 1. distinct. & ibi communiter DD. & certe ista requisita continentur, & verificantur in his legibus Tauri.

6. Item adde, quod solus Imperator, Rex, vel Princeps, qui non recognoscit Superiorem, potest facere, & concedere legem: text. est in leg. Non ambigitur, ff. de Legib. ubi habetur, quod Senatus populi Romani poterat condere Legem: Sed Senatus, & Populus Romanus omnem suam potestatem transtulit in Imperium, ut in leg. 1. §. Sed hoc studium. Cod. de Veteri jure enucleando: Ergo hodie solus Imperator, Rex, vel Princeps potest Legem condere. Et ex isto fundamento, & ratione ita tenet ibi Glos. ordinariæ & communiter DD. text. formalis, & expressus in leg. fin. Cod. de Legib. & ibi communiter DD. tenet etiam Glos. ordinariæ. Bartol. Alber. & communiter DD. in leg. 1. ff. Quod quisque juris. text. in §. Sed & quod Principi Instit. de Jure nat. gen. & civil. & ibi Glos. ordinariæ & communiter DD. & idem disponit lex 8. tit. 1. partit. 1.

7. Item etiam, solus Imperator, Rex, vel Princeps potest leges dubias interpretari, vel declarare: text. est in leg. 1. Cod. de Legib. text. in l. fin. §. 1. Eodem. versic. Si enim. cujus verba sunt:

sunt: Si enim presentis tempore leges condere soli Imperatori concessum est; & leges interpretari solummodo dignum imperio esse oportet: & ibi notant DD. & idem expressè dicit, & disponit ista nostra lex. 1. Tauri.

8 Item adde, quòd deficiente lege, recurritur ad consuetudinem legitime præscriptam per lapsum decem annorum, & pluralitatem actuum, non minus quam duorum: text. est in l. De quib. ff. de Legib. & ibi Magistraliter Bart. & communiter DD. antiqui, & moderni: text. in leg. 1. & per totum, Cod. Quæ sit longa consuetudo: text. est in §. Sine scripto Instit. de Jure nat. gen. & civil. text. in cap. 1. & per totum, extra, de Consuetud. & ibi communiter DD. & idem disponit, Lex 1. & per totum tit. 2. partit. 1. ubi notabiliter, & per ordinem declarantur ea, quæ pertinent ad Sententiam, & validitatem consuetudinis.

9 Item adde, quòd deficiente lege & consuetudine, recurrendum est ad rationem naturalem: text. est notabilis in leg. Scire oportet. Si enim. ff. de Excusation. tutor. ibi, dum dicit: Cujus fidem tametsi sufficit firmare ex ipsa naturali justitia; & ad hoc summè notat, & commendat Baldus post Antiquos, ibid. idem Bald. in leg. Cum in antiquioribus. Cod. de Jure deliber. penult. col. Jason. Decius, & Moderni in leg. Illam. Cod. de Collat. Joan. Andr. in cap. Pastoralis. de Fid. Instrum. probat etiam text. in l. Cum ratio. ff. de Bon. damnat. Confirmatur ex Sententia Aristotelis, & Philosophorum dicentium: Quære legem ubi est ratio naturalis, est infirmitas intellectus. Item, deficientibus his, recurrendum est ad communem opinionem Doctorum; argumento text. in leg. 1. ff. de Senator. text. in leg. Athletas. ff. de His, qui notat. infam. & in leg. 1. ff. de Officio questoris: text. in cap. Novimus. de Verbor. signific. text. in cap. De Induciis. C. 3. Q. 3. quod intellige, si non est evidenter falsa, quia multoties unus ex subtili ingenio, & optimis rationibus posset alios superare; argumento text. in cap. Capellanus, de Feniis: text. melior de jure in leg. 1. §. Sed neque. Cod. de Veter. jure enuclean. cujus pulchra verba sunt: Sed neque ex multitudine authorum, quod melius, & æquius est judicatore; cum possit unius forsitan & deterioris Sententia & multas & majores in aliqua parte superare: Item etiam, quia sæpè Deus, & Dominus noster revelat parvulis, & humilibus, quæ ab abscondit à sapientibus: ita Abb. in cap. 1. de Constit. column. final.

10 Item, communi opinione deficiente, imò prorsus deficiente aliqua probabili opinione alicujus Doctoris, procedendum erit argumento alicujus legis, vel juris scripti in simili casu disponentis: text. est in leg. Non possunt. ff. de Legib. cujus verba sunt: Non possunt omnes articuli

sigillatim aut legibus, aut Senatus-Consultis comprehendere; sed cum in aliqua causa Sententia eorum manifesta est, qui jurisdictioni præest, ad similia præcedere, atque ita jus dicere debet; bonus text. in leg. fin. Cod. de Hæred. institut. text. in leg. Illud. ff. ad legem Aquil. text. in leg. 1. §. 2. & 3. ff. de Fonte: text. in cap. Inter ceteras. in fin. de Rescript. Si verò omnia prædicta deficiant, itemque judex nesciat quid faciat, recurrendum est ad Principem; quia ejus est declarare, cujus est condere: ut in leg. Cum de novo. Cod. de Leg. & ibi Cynus, & communiter DD. & tenet Abb. & alii in cap. 1. de Constit. penult. col. num. 14.

11 Item adde, quòd lex nova referens aliam, & de ea faciens mentionem, licet non reperiat, valet & tenet: ita probat text. in l. Admonendi. ff. de Jurejur. & ibi expressè notat Bartol. 2. col. & idem est in Sententia; quia si Judex condemnat aliquem certam pecuniam quolibet anno alteri præstare, secundum quòd antecessores consueverunt, tenetur solvere etiamsi non constet quòd antecessores præstarent: ita Bartol. in leg. Cum qui, §. Julianus, ff. de Edendo: facit etiam Glos. & communis opinio in cap. Quoniam Abbas. de Officio Deleg. Nec obstat text. & ibi Glos. ordinar. & commun. opinio. Doct. in Authent. Si quis in aliquo documento. Cod. de Edendo. & Authent. Ut sponsal. largit. & cap. Et hoc vi super. c. collat. 9. & ibi etiam communiter DD. ubi disponitur, quòd instrumentum publicum, vel privatum faciens mentionem de alio instrumento, non facit fidem, nisi producat originale; imò etiamsi Tabellio, vel Notarius dicat, & asserat se vidisse, & legisse, non facit fidem, secundum eos: quia respondeo, quòd illud habet locum, & procedit quando instrumentum refertur ab aliquo Tabellione, vel Notario, vel ab alia persona privata: secùs verò si à Principe, vel lege communi, vel judice definitivè pronuntiando; qua tunc benè valet, & tenet, & facit plenam, & perfectam fidem, licet non constet de alia lege relata: Ista est Glos. ordinaria juncto text. in cap. Si Romanorum. 19. distinct. in glos. penult. & ibi communis opinio Doctor. & in cap. Abbate Sancti Sylvani. de Verbor. signific. in verb. fiat. & ibi communiter DD.

Item finaliter, & postremo quæro, an Rex, vel Princeps, vel lex humana positiva possit tollere, & auferre jus quæsitum subditis? In quo articulo, breviter, & resolutivè dico, quòd benè potest ex causa justa; quæ semper præsumitur: text. est in leg. Venditor. §. Si constat. ff. Commun. præd. Ubi disponitur, quòd si quis habet in suo fundo, vel agro lapidinas, non potest alter privatus eas tollere, vel auferre, nisi stante lege, vel consuetudine: & ad hoc notat, & commendat Glos. ordinar. Odofred. Bartol. Alber. Bald.

Ang. Paul. Flor. & communiter DD. ibi. Nec obstat, quòd cuilibet licet lapides, vel lapidinas tollere, vel fodere, ut in leg. Quosdam. Cod. de Metallariis. lib. 11. quia illud est verum, quando esset concessa licentia à domino fundi, & non aliàs: Vel aliter & secundò, quando quis velit extrahere ex venis saxorum, quæ sunt in locis remotis ab aliqua domo, vel ædificio alterius, cui non posset provenire damnum, vel periculum dirutionis: quia tunc poterit propter publicam utilitatem, secundum Glos. ordinar. & communiter Doctor. ibi: Sed iste intellectus non placet, quia indistinctè in fundo alieno non licet alicui intrare, invito domino, ut in leg. 3. ff. de Acquirend. rer. domin. & in leg. Injuriarum Actio. §. fin. ff. de Injur. Unde aliter, & tertio dico, quòd ille textus procedat, & intelligatur quando quis velit tollere, & auferre ex venis, & locis publicis; nam tunc liberè potest de jure naturali. Et illum textum in dict. leg. Venditor, §. Si constat, in nostra principali conclus. in qua sumus, reputat singularem, & meliorem de jure Bartol. in Proem. Digestor. col. 3. probat etiam textus in leg. Si privatus. ff. Qui, & à quibus: quem reputat singularem, & unicum Bartol. in dict. Proem. Digestorum, col. 3. Sed certè illè text. parum, vel nihil probat: text. in l. 1. & per totum, ff. de Bonis damnat. ubi, ratione delicti commissi confiscantur bona delinquentis: text. in l. 1. & per totum. C. de Bonis proscript. text. in l. Commissa. ff. de Publ. & vectig. text. in Authent. Incestas. Cod. de Incestis nupt. per quæ jura ita tenet Bartol. in l. fin. Cod. Si contra jus, vel util. publ. & ibi communiter DD. text. in l. 1. & per totum. ff. de Usucap. ubi, dispositio legis tollit alteri dominium, mediante usucapione, vel præscriptione: text. in l. 1. & per tot. Cod. de long. temp. præscript. text. in §. 1. & per tot. Instit. de Usucap. text. in l. Antiochensium. ff. de Reb. Aut. Jud. possid. text. in l. fin. C. de Jure dom. impetr. text. in l. 1. & per tot. Cod. Pro quib. caus. serv. pro præm. liber. accipi. ubi disponitur, quòd servus, qui denunciatur judici mortem domini sui, ut contra delinquentem procedatur, efficitur liber: & idem ego dicerem per argumentum à fortiori, quando in vita dominum defenderet in periculo vitæ constitutum; & idem esset, quando denunciaret prodicionem Principibus factam, vel fabricatorem falsæ monetæ, vel raptorem virginis, ut in leg. 3. tit. 22. partit. 4. & certè idem ego dicerem in casibus similibus; & idem est quando servus vadit pileatus associando cadaver domini sui de consensu ipsius domini, vel hæredum: text. est singularis in jure in leg. unica. §. Sed & qui domini funus. Cod. de Latin. liber. tollend. & ibi communiter DD. & illum text. reputat mirabilem Angel. in §. fin. Institut. de Libertinis. Sed adde, quòd hodie iste casus non procederet de ge-

nerali consuetudine: & fortè ex ista causa non ponitur in prædicta l. partit. text. in l. 1. & per tot. ff. Si quad. pauper. feci dic. ubi, ex damno dato ab aliquo animali punitur dominus in solutione ejus, vel tenetur dare animal pro noxa, & per consequens privatur dominio ejus: text. in l. 1. & per tot. ff. De Noxal. action. text. etiam notabilis in cap. Mulier. C. 15. Q. 1. Ubi habetur, quòd si quis committit crimen bestiale contra naturam, punitur ipsa persona particeps criminis, & similiter animal interficitur, & dominus privatur dominio ejus, ne sit memoria illius nefandi criminis.

Per rescriptum verò, vel privilegium, particulariter alicui concedendo, non posset: ita probat. text. in l. fin. Cod. Si contra jus vel utilit. public. & ibi expressè tenet Glos. ordinar. Bartol. Alber. Baldus, Paul. & communiter DD. Confirmatur ratione, quia cum dominium sit de jure naturali, meritò per Regem, vel Principem, & ejus particulare privilegium tolli non potest, ut in leg. Jus nostrum. ff. de Regul. jur. quod tamen intellige, nisi ex causa publicæ utilitatis; & tunc debet pretium de proprio patrimonio restituere: ita probat textus singularis, qui sic debet intelligi, in l. Item si verberatum. §. 1. ff. de Rei vindicat. & ibi notat Bartol. Alber. Bald. & communiter DD. Ex quibus inferitur, quòd si Rex, vel Princeps restituit aliquem ad bona confiscata, non extenditur restitutio ad bona in alium translata, & alienata. In quo articulo resolutivè dico, quòd si remisit simpliciter pœnam delicti, non extenditur talis restitutio ad bona, etiamsi reperiantur penes fiscum, & in suo patrimonio, & non alienata: text. est qui sic debet intelligi in l. 1. in fin. & in l. 2. & 3. Cod. de Sent. pass. & ibi Glos. ordinar. & communiter DD. Si verò Princeps restituit quòdam pœnam, & quòdam bona, tunc benè fit restitutio bonorum, si non reperiantur alienata, & in alium translata; si verò reperiantur alienata, non extenditur restitutio ad ea in præjudicium tertii. Si verò expressè dicatur, quòd fiat, & extendatur restitutio etiam quòdam bona in alium translata, benè extenditur restitutio ad illa bona; sed tenebitur fiscus pretium restituere de proprio patrimonio: ita probant prædicta jura, & in terminis tenet Glos. singular. & unica in leg. Gallus. §. Et quid si tantum. ff. de Lib. & postum. in verb. Emancipatus. in fine: & ibi Bartol. Bald. Paul. Imola. Alexand. & communiter DD.

Unum tamen est, quòd hoc casu quando fit restitutio quòdam pœnam & quòdam bona, & bona reperiantur penes fiscum, non extenditur restitutio ad fructus per fiscum perceptos; ita probat text. singularis in jure in Authent. Idem est de Nestorianis. Cod. de Hæretic. quem ad hoc reputat singularem Angel. Imol. Paul. Alexand. & communi-

niter DD. in *diff. l. Gallus. §. Et quid si tantum. ff. de Lib. & posthum. licet Jas. tenet ibi contrarium. 15. column. numer. 50.* Sed certè superior opinio communis est vera, & tenenda in iudicando, & consulendo, quam ego sequor. Quòd tempus tamen bene potest privilegium, vel rescriptum concedere in præjudicium tertii, ut dilationem solutionis debitori concedendo: text. est singularis, & unicus in iure in *l. Quoties. Cod. de Precib. Imperat. offer. & ad hoc summè notat, & commendat ibi Glos. ordinaria, Odofred. Cynus, Petrus Jacob. Butri. Bartol. Alber. Paul. Salycet. Jason, & communiter DD. & idem disponit *lex 22. titul. 16. partit. 3. & confirmatur, quia lex humana positiva habet vim, & auctoritatem à summo Deo Domino nostro, & ab eo recipit vigorem, & idè meritò obligat subditos ad ejus observantiam; ut probatur Proverb. cap. 8. ubi dicitur: Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Et tenet D. Augustin. in lib. 1. de Lib. arbitr. dicens: Nihil esse justum, ac legitimum, quòd non ex æterna lege homines derivaverint: & tenet Paulus Apostolus ad Roman. cap. 13. dicens: Non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.**

T E X T. I I.

Porque nuestra intencion, y voluntad es, que los Letrados en estos nuestros Reynos sean principalmente instruidos, è informados de las dichas Leyes de nuestros Reynos, pues por ellas, y no por otras han de juzgar: Y à Nos es hecha relacion, que algunos Letrados nos sirven, y otros nos vienen à servir en algunos cargos de Justicia, sin haver passado, ni estudiado los dichas Leyes, y Ordenamientos y Pragmáticas, y partidas: de lo qual resulta, que en la decision de los Pleytos, y Causas, algunas veces no se guardan, ni platican las dichas Leyes, como se deben guardar, y platicar, lo qual es contra nuestro servicio. Y porque nuestra intencion, y voluntad es, de mandar recoger, y enmendar los dichos Ordenamientos, para que se ayan de imprimir, y cada uno se pueda aprovechar de ellos: Porende, por la presente ordenamos, è Mandamos, que dentro de un año primero siguiente, y dende en adelante, contado desde la data de estas nuestras Leyes, todos los Letrados que hoy son, è fueren, assi del nuestro Consejo, è Oidores de las nuestras Audiencias, y Alcaldes de la nuestra Casa, y Corte, y Chancillerias, do tienen, è tuvieren otro qualquier cargo, y administracion de Justicia, an si en lo Realengo, como en lo Abadengo, como en las Ordenes y Behetrias, como en otro qual-

quier Señorio de estos nuestros Reynos, no puedan usar de los dichos cargos de Justicia, ni tenerlos, sin que primeramente ayan pasado ordinariamente las dichas Leyes de Ordenamientos, y Pragmáticas, Partidas, y Fuero Real.

Id est:

Quoniam nostra mens atque voluntas est, ut viri Litterati in nostris his Regnis in primis sint instructi, & edocti in prædictis Legibus nostrorum Regnorum, siquidem per eas, & non per alias judicare debent: Et nobis relatum est, nonnullos viros Litteratos in munere administrandi Justitiam Nobis jam inservire, & alios, ut inserviant, venire sine ulla relectione, aut studio prædictarum Legum, Ordinationum, Pragmaticarum, & Partitarum: Unde fit quod in decisione Litium, & Causarum, aliquando non observentur, neque in usum veniant, ut deberent, prædictæ Leges; quòd est contra nostrum obsequium. Et quoniam nostra mens, & voluntas est, ut præcipiamus colligi, atque emendari prædictas Ordinationes, ut imprimantur in vulgarem usum: Idcirco, per præsentem Ordinationem ac Præcipimus ut intra annum proximum, & deinceps, à data harum nostrarum Legum, Litterati omnes viri, qui nunc sunt, vel futuri sunt, tam nostri Consilii, quàm Audienciarum nostrarum Auditores, & Alcaldii (hoc est Præpositi Justitiæ) Domus ac Curie nostræ, & Cancellariarum, ubi habent aut habituri sint aliud quodcumque munus, aut Justitiæ administrationem, tam in Regali ac in Abbatiano territorio, quàm in Ordinibus, & Communitatibus (hoc est Behetrias) sive in quocumque alio horum nostrorum Regnorum dominio, non possint uti prædictis Justitiæ officii, neque illa habere, nisi prius ex ordinario more relegerint prædictas Leges Ordinationum, Pragmaticarum, & Partitarum, ac Forum Regium.

C O M M E N T A R I I

In Legem II.

S U M M A R I U M.

1. *Judex, quas dotes habere debeat?*
2. *Judices, à quo eligantur?*
3. *Judicium plerique ignari, & inexperti.*
4. *Judicis ordinarii officium.*
5. *Advocatus quis esse possit?*
6. *Procuratoris officium.*
7. *Baccalaureus quis creari possit?*
8. *Scolaris per quinquennium absens perdit privilegium scholarium.*
9. *Licenciatas intra quod tempus creetur?*
10. *Quæ persona in iudices eligi possint?*

No-

Nota ex ista lege, quòd in isto Regno, an tequam quis possit esse iudex, debet omnes leges hujus Regni perlegere, & discutere: & adde, quòd prædictus iudex debet esse Litteratus, & scientia legali præditus, ut rectam, & congruam justitiam partibus possit administrare; ut consulit, imò præcipit Imperator Justinianus in 1. Proem. ff. cap. de Ration. & Meth. §. Nos, cum seq. Ubi saltem per quinque annos jubet professorem hujus scientiæ operam dare: imò hodie requiritur studuisse per decem annos in aliqua Universitate approbata, de quo debet constare per fidem, & testimonium Notarii, ut possit exercere aliquod officium publicum, & jurisdictionem; & debet esse ætatis plusquam 25. annorum: & si aliter officium acceptaverit, punitur pœna privationis ejus, & inhabilitationis, ut deinceps nullum officium possit exercere; ita disponit Pragm. hujus Regni 58. fol. 63. lib. Pragm. quæ oportet servari tanquam summè necessaria: & ultra hoc, principaliter requiritur, quòd talis iudex sit probata vitæ, & conscientia præditus, ut recta, & justa sint omnia judicia ejus: quia ubi tale fundamentum deficit, nihil boni superædificari potest: ita docet, & monet ipse Justinian. in dicto Proem. ff. §. Illud verò, versic. Cum oportet. Cujus pulchra verba sunt: Cum oportet prius animas, & postè linguas fieri eruditas: Et habetur, Proverb. cap. 12. & probatur ex verbis Domini nostri Jesu Christi in Evangelio Joannis, capit. 14. Ego sum via, & veritas, & vita: Et habetur per Div. August. epistol. 85. dicentem: Planè Summus Deus noster vera justitia est, quam esurire, & sitire debemus: & per eundem de Civit. Dei, lib. 21. cap. 23. & in Epistol. Pauli ad Romanos, dicentis: Omnis Christi actio nostra est instructio, & in omnibus operibus nostris simus ejus imitatores: & docet, & monet Div. Basilius, Constitutio. Monast. cap. 2. & cap. 5. & Chrysost. in Epistol. ad Corinth. capit. 4. idem Chrysostom. homil. 51. Et divitias, & honores hujus sæculi, & omnia bona ejus propter hunc finem contemnamus; & pro omni lucro, & commodo, quòd sit in mundo, non debemus à gratia, justitia, & charitate Domini nostri deviare: ut monet Beatus Paulus in epistol. 3. ad Philippenses, & Beatus Hieronym. in Cantic. & August. super Joann. & Chrysostom. homil. 35. Idem Chrysost. Genes. 13. & probatur in Evangel. Matthæi cap. 16. & Marci cap. 8. dicente: Quid prodest homini si totum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiat? Et dicit Beatus Basilius Homil. in Quadragesima Martyr. Si terrena ista sempiterna essent, quis ea non contemneret, pro cœlestibus? Cum verò sint caduca, quis ea cœlestibus anteponet? Idem Basil. eodem loco; ut sapientem supra petram edificatum nulla vis ventorum subvertit; ita Christianum rectum à vero,

& justo nulla res movet. Itaque in primis queramus Regnum Dei, & justitiam ejus, & cor nostrum in eam dirigamus, & omnia adjicientur nobis. Et ita docet & consulit Dominus noster in Evangelio Matthæi, capit. 6. Et iste sit noster thesaurus inventus in agris, & margarita in terris, & gemma in litore maris.

2. In quo, ut expertus, unum adverto in obsequium & reverentiam Domini nostri, & utilitatem Reipublicæ: quòd in nostro Regno, & civitatibus ejus, regulariter eliguntur Judices, & Governatores à nostro Rege, & Præsides sui regalis Consilii, qui sunt Nobiles, Illustres, & Magnates & ipsi eligunt Judices minores ordinarios juvenes, insipientes, & inexpertos, & ferè nullius scientiæ, gratia, vel favore: & sic nullam administrant justitiam, & nimis quotidie gravant partes.

3. Et certè cognovi plures in hac Civitate Salmanticensi, & aliis locis, qui penitus carebant litteris, & multitudine negotiorum adhuc non erat sibi tempus librum aperiendi, nec processum, causam, & merita ejus discutiendi, nec præmeditandi; imò omnia ex libero arbitrio decidebant, & in multis causis, & negotiis consilium Tabellionum sequebantur. Nec obstat si dixeris, quòd appellatio, quæ à jure conceditur tollit hoc inconveniens; quia aliquando per eos denegatur appellatio; quia aliquando condemnatus est pauper, cui deficit facultas prosequendi appellationem. Et sic satis atque diù maxima affectione cogitavi, quòd remedium summè necessarium esset, ut Princeps, vel Præsides regalis Consilii, & non alius eligat prædictos iudices, in quibus sit scientia, & conscientia, cum salario competenti: Cum principale onus, & cura cujuslibet Principis, & ejus Præsidis sit, ejus Regnum, & personas sibi subditas in recta, & perfecta justitia conservare.

4. Item, talis iudex ordinarius debet æquo animo omnibus præstare aditum, tam advocatis, quàm litigantibus; & negotia eorum libenter audire, & examinare; & adversus eos non scandescere: non tamen debet se ita facilem præbere, ut contemptibilis videatur; nec precibus calamitosorum statim annuere: imò constantia, & prudentia omnia regat, & animi sui motum, & propositum in secreto habeat, & vultum ejus semper detegat, & disimulet: textus est moralis & benè notandus in leg. Observandum, ff. de Offic. Præs. & ibi Glos. ordinari. & communiter DD. text. in leg. Nec quicquam, §. Circa, ff. de Offic. Procon. idem disponit *lex 13. titul. 4. part. 3.* Unum tamen est quòd non dicunt, nec permittunt prædicta jura, quòd unum habeant in corde, & aliud fingant, & asserant exterius: quia hoc esset injustum, & actus dolosus, & non permissus, secundum Alberic. in *diff. leg. Observandum.* Ex quo inferitur

no-